



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VI. Exercitium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

mâ fæminâ, conjuge suâ, quicum annos totos octodecim in summa conjunctione vixerat, ad precandum Deum conversus, toto animo sanitatem ipsius postulabat. Cùm ecce visus sibi audire intus dicentem Deum: si quidem velle pergis, ut uxor convalescat, mox fecero, sed tibi non expedit. Ad eam cogitationem, represso statim desiderio uxoris conservandæ, totum se divinæ voluntati, repetitis iterum atque iterum resignationis actibus, permisit, his ferè verbis: *Quis enim rectius novit, quid è re mea sit, quam tu mi Deus? Tua itaque voluntas fiat.* Ait vitæ scriptor, notatum, ab ea resignatione ægram sensum ad extrema delapsam, & paullò post mortuam, marito libertatem amplectendæ perfectioris vitæ reliquisse: cùm antè, sanitatem ejus petente Borgia, morbus dubio exitu pendèret.

VI.
Exercitium.

O quot modò reperiantur, quibus inter vota sua & desideria diciqueat: *Tibi non expedit?* Dignitates exoptas, favores ambis, tibi non expedit. Divitiarum avidus es, possessio-

ne

nes & amplam familiam cupis, tibi non expedit. Deo te permitte si sapias, omnia scienti, bona volenti. Dic cum Borgia: *Quis enim melius novit, quid è re mea sit, quam tu mihi Deus? Tua itaque voluntas fiat.* Dic piè cum Lanspergio in Enchiridio militis Christiani: *Misericordissime IESU, optime Domine, non potest quod tu vis esse malum, sed ordinatissimum sit necesse est, quidquid à te procedit. Si me vis habere infirmum, sit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis habere sanum, sit æquè nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis mori, sit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si me vis vivere, sit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua.* Scribe, & dic sæpiùs, quod singulis diebus manè & vespere iterabat Episcopi Gebennensis Francisci discipula, Philothea Fremiota, primâ parte Vitæ cap. 23. *Domine, nolo mihi deinceps optionem ullam: percutere quamlibet chordam lyre mee semper, & in æternum; non alia, quam tetigeris, resonabit. Ita Domine IESU: sine si, sine sed, sine exceptione ulla, fiat voluntas*

*tua, de patre meo, de liberis, de omnibus rebus,
& de me ipsa.*

VII. *Modus eò
veniendi.* Siccine verò, inquis, ego loqui
ex animo possim? Hominem
exuisse oporteat, corpore exisse,
naturam mutasse. Non horream dura
magis, quàm mollia? Non averfer potius
dedecorosa, quàm honorifica? Non ap-
petam ardentius jucunda, quàm amara?
Id Angeli faciant, expertes materiae:
quamquam & ipsis sua ad gloriam magis,
quàm ad dedecus, propensio fuit. Quid
enim dedecoris fugiendi metu facerent,
qui majoris gloriae quàm oportuit, cupi-
ditate peccarunt? Homines vis esse ad
omnia indifferentes, cum id etiam Ange-
lis difficillimum fuerit? Angelos dicis,
quos malos Dæmones dicere debueras:
ideò malos Dæmones, quia propriae vo-
luntati, non divinæ, obsecuti sunt. Istud
est, quod ex Bernardo toties occinitur:
*Tolle voluntatem propriam, & infernus non
erit.* Sed ad eam, quam exaggeras, diffi-
cultatem, aut tollendam penitus, aut maxi-
ma sui parte minuendam, conare, quod
intelli-